



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. ex Christi miraculis cognouerint Iudæi Iesum fuisse. Messiam
promissum, verumq[ue] Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

SECTIO IV.

Virum ex Christi miraculis cognouerint Iudæi, Item fuisse Messiam promissum, virumq. Deum.

Diximus de Angelis, superest dicamus de hominibus, & tota questio reuocatur ad Iudæos. Illi enim & Messiam sperabant, & notitiam diuinorum scripturarum habebant, & doctrinam Christi, ac miracula experti sunt. Agit aut ex professo de hac re D. Th. inf. q. 47. a. 5. nō potuit tamē hoc loco prætermitti. ne res inter se cōnexas separarem. Supponim⁹ ergo ex hæcenus dictis, potuisse Iudæos p̄sertim qui scripturas nouerant, & verba Christi audiebant, eiusq. miracula conspiciabant, cognoscere illū esse Messiam, & consequenter verū Deum. Probatur primo de cognitione per fidem infusam, quia illud obiectū satis, superq. proponebatur, vt expositū est. Secūdo de cognitione per fidē humanā vehementer inducentem intellectum ad assentiendū propter motiua sensibus manifesta, supposita p̄sertim prædictione scripturarū, ad quas Christus semper illos prouocabat dicens, *Scrutamini scripturas, quia illa testimonia perhibent de me. Et si Moysi crederetis, crederetis & mihi.* Neq. hoc indiget maiori probatione, & ex ijs quæ dicemus, euidentius cōstabit. Difficultas ergo superest, an de factō Iudæi cōuicti fuerint ad hoc credendū. Ratio difficultatis est, quia supra diximus miracula Christi cōiuncta scripturis, & testificationi eius euidenter ostēdisse ipsius diuinitatē, euidentia aut cogit intellectū ergo coegit etiam intellectus Iudæorū. In contrariū vero est, quia Et supra diximus hanc euidentiam nō orati nisi veritas miraculorū euidenter cognoscatur & prophetiæ & testimonia perspicue intelligatur: at vero homines nec possunt euidenter cognoscere veritatem miraculorū, quia non intuetur naturas rerum nec scripturas possunt adeo clare intelligere, p̄sertim prophetias. Ad hæc quamuis nonnulla signa Messie in Iesu viderentur impleta: tamē multa aliā implēda supererant, p̄sertim ea, quæ de secūdo Christi aduentu sunt: neq. vero erat illis euident, quæ essent de primo, quæue de secūdo aduentu intelligenda Deniq. hæc euidentia est aliquis esse possit, cōsurgit tamen ex plena multarum rerū, & circumstantiarum consideratione: ingenium autem humanum vix potest ita omnia necessaria considerare, quin aliquid prætermittat, præsertim si aliquo prauo, & repugnante affectu ducatur.

In hac re prima sentētia est, Iudæos cognouisse Iesum esse Messiam, & verū Deum, & nihilominus ex ira, atq. odio, quod contra eū animo cōceperant, illum interfecisse. Ita sentiunt multi Patres exponentes parabolam vineæ Mat. 21. vbi ait Christus. *Agricultæ autē videntes filium, dixerūt intra se, hic est hæres, venite occidamus eū.* Per quos agricolas Iudæos significabat, vt ipsi etiam statim intellexerunt, significat ergo eos cognouisse Christum. Ita Orig. tract. 19. in Mat. vbi inquit Iudæos cognouisse Christū filium Dei, eumq. nihilominus occidisse, sicut Herodes credidit Christum nasciturū in Bethlehem, & nihilominus quesitū illū, vt occideret, etiam si esset Messias promissus. Deniq. filius, Chrys. quodq. hom. 46. imperfecti aperte dicit. Ex omnibus operibus eius cognouerunt eum filium Dei esse, & hoc significat dicentes, hic est hæres. Rursus Beda lib. 3. in Mat. Manifestū sume (inquit) probat Dominus non per ignorantiam, sed per inuidiam Principes Iudæorum crucifixisse filium Dei. Intellexerunt hunc esse de quo dictum est. *Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* quæ verba usurpauit Anselm. eodem loco Et confirmari hæc sententia potest ex verbis Christi Ioann. 15. *Si non venissem, & loquutus ei non fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem nō habent de peccato suo, quia & viderunt, & nouerunt me, & patrem meum.* Et idē c. 12. vocat eos Christus obsecratos & obduratos, non ergo ex

A ignorantia, sed ex malicia Christum cognitum occiderunt.

Secunda sententia esse potest, Iudæos cognouisse Iesum esse Messiam: nō tamen esse verum Deum. Ita sentit Euth. in Mat. suo c. 50. Dicit enim Christum agnitiū esse à Iudæis Regem Israel à Prophetis prædictū, non tamen filium Dei. Idem insinuat Theoph. ibidē dicens agnouisse Christū, idē Burgens. Mat. 21. Sixtus lib. 6. anno 98. Lyrā. Mat. 21. Et hæc opinio quoad partē negantem fundari potest in illis verbis 1. Cor. 2. *Quem nemo principum huius sæculi. Si enim cognouissent, nunquam Dominū gloriæ crucifixū essent, quæ (vt supra vidimus) à multis Patribus exponuntur de principibus Iudæorum.* Neq. hic habet locū expositio quod ignorauerint fructū redemptionis: nō autem Christi diuinitatē. Quia Iudæi non habebant tā prauum affectum, & odium in Deum, sicut Dæmones, vt verum Deum agnitiū interficere auderent. Et confirmari potest. Nam sæpe voluerunt Iudæi Christum interficere eo quod se Deo æqualem faceret, vt patet Ioann. 8. & c. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum. Deniq. nō videntur Pharisei intellexisse Messiam futurum verum Dei filium naturalem: ergo licet cognouerint esse Messiam, nō inde fit cognouisse etiam filium Dei. Antecedens colligi potest ex Mat. 22. vbi Christus Phariseos interrogauit. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?* Ipsi autem respondētib. esse filium Dauid (quoniam reuera sentiebant futurum purum hominem) obiecit rursus verba eiusdem Prophetæ, *Dixit Dominus Domino meo, & c. vt cōcluderet esse plusquam hominem, & plusquam filium Dauid.*

Tertia sententia est, Iudæos neutrum cognouisse, scilicet neq. esse Messiam, neq. verum Deum. Ita sentit Abulensis Mat. 21. q. vlt. Caiet Luc. 23. circa illa verba. *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* vbi ait ignorasse Iudæos, quis esset ille, quem crucifigebat. Expressius id docet hic. q. 47. a. 5. Quorum potissima ratio est, quam superius tetigimus. Quia ipsi sperabant Messiam futurum Regem temporalem. Nihil enim spirituale in diuinis promissionib. ac Prophetijs intelligere valebant, vt in priori tom. disp. 1. sect. 4. fuisse declarauimus, vbi plures ex Patribus retulimus hoc docentes, & in Euangelio habemus nōnulla vestigia. Nam ipsi etiam Christi discipuli in principio, nihil altius de regno Christi cogitabant. Vnde dicebant, *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel:* Act. 1. & Luc. 24. *Non sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel,* scilicet à Romanorum Imperio. Deniq. filij Zebedæi (vt Patres notant) nihil aliud, quam regnum temporale cogitabant, quando præcipuas in illo sedes petebāt, Mat. 20. Cum ergo Iudæi de regno Christi temporali cogitarent, & in eo nullum signum, iudiciumue eiusmodi regni cernerent, non videntur potuisse cognoscere eum esse Messiam.

In hac questione primum oportet distinguere de ijs Iudæis, qui in Christum crediderunt, vel de ijs qui eum interfecerunt: nam de his posterioribus præcipue est questio: De prioribus autem breuiter dicendum est, eos cognouisse Iesum esse Messiam, ac verum Deum, sicut cognouit Petrus, quando confessus est. *Tu es Christus filius Dei viui.* Mat. 16. & Martha, cum dixit. *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Ioann. 11. iuxta interpretationem Augustini, tractat. 49. & Hilarij lib. 6. de Trinitate. Ea vero cognitio solum erat per fidem, vt aperte constat ex verbis citatis, & ex illis, quæ Christus dixit Petro: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus.* Et fortasse in aliquibus, saltem in principio non fuit illa fides cum certitudine necessaria ad fidem infusam, sed solum fides quædam humana propter apparentia motiua. Rursus intelligendum est, eosmet, qui in Christum credebant, facilius credidisse illum esse Messiam, quam verum Deum.

Quid

Ioan. 5.

Matth. 21.

Origenes.

Chrysostom.

Beda.

Anselm.
Ioan. 12. & 5.

Euthym.

Theoph.

Burgens.

Sixt.

Lyrā.

1. Cor. 2.

Ioan. 8. & 10.

Matth. 22.

Psalm. 109.

Abulens.

Caietan.

Luc. 23.

Act. 1.

Luc. 24.

Matth. 20.

Iudæi in

Christū cre-

dentes Missi

illi esse, ve-

rumq. Deū

agnouerunt.

Matth. 16.

Ioann. 11.

August.

Hilar.

Matth. 16.

Quia hoc posterius continebat mysterium altius & A obscurius, quod (vt verisimile est) pauci distincte intellexerunt vsq; ad Christi resurrectionem & Apostolorum predicationem: sed inuoluntate credebant, Christum esse filium Dei cum insigni quadam sanctitate, & excellentia. Quia vulgus non erat tunc capax maioris cognitionis, vt patet ex toto discursu Euangelii, & ex ignorantia, quæ in aliquibus Apostolis erat nocte cænx, vt merito Christus eis dixerit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Ioann. 14. Vnde Petro dictum est ex singulari Patris dono tantam, tamque distinctam de Christo cognitionem ei fuisse datam, & de Martha Chrysost. alii probabiliter existimant non cognouisse distincte Christum esse filium Dei naturalem. Ex his consequenter colligitur hos qui in Christum crediderunt non omnes habuisse euidentiam veritatis doctrinæ eius neq; quod ipse esset Messias, aut Deus. Fuit quidem ipsis euidentis, ipsum esse dignum fide, & prudenter fieri credendo illi (vt satis ex superioribus constat) non tamen fuit euidentis, vera esse quæ diceretur: cum quia fere omnes erant simplices, ac illiterati homines, qui non sciebant scripturas. Tum etiam quia non omnes videbant cuncta miracula, & multo minus eorum veritatem euidenter cernebant. Præterea, quia non omnes sciebant euidenter miracula illa fieri in confirmationem doctrinæ, aut non posse permittere Deum, vt falsitatis prædicator talia signa faceret.

Non est autem incredibile, imo valde probabile, ac fortasse verum, nonnullos, qui miracula Christi viderunt, & in eum crediderunt, aliquando peruenisse ad euidentem cognitionem veritatis doctrinæ Christi, ac diuinitatis eius. Quod maxime credi potest de Apostolis, saltem post Christi resurrectionem (vt omittam beatam Virginem, quæ multo antea hæc euidentiam habuit). Ita docuit hoc loco Medina super q. 42. Et suadetur breuiter. Quia (vt ostendimus) Christi opera coniuncta cum eius doctrinâ, & Prophetarum prædictionibus ad exitum iam productis, sufficientia erant ad præstandam hanc cognitionem euidentem in testificante: sed Apostoli hæc omnia considerabant, & intelligebant. Nam in primis veritas miraculorum satis euidenter illis erat nota. Quid enim euidentius quam Lazarum fuisse mortuum & postea vixisse? certe non erat minus euidentis, quam quilibet alium hominem viuere, & idem iudicium est de illuminatione cæci nati, & similibus operibus, quæ ex diuturnitate, atque permanentia effectuum, & ex eorum frequentia satis se ostendebant esse vera. Præsertim cum is, qui ea faciebat, & homines ad bonos mores institueret, & ad illos se se perfecte formaret, nullamque temporalem utilitatem ab hominibus quaereret: sed solum Dei honorem, & gloriam, & bonorum morum instaurationem. Precedit, quod dum ipsimet Apostoli faciebant miracula, euidenter sciebant se non iniisse foedus cum demone, sed potius hostile bellum: sciebant etiam talia opera esse, quæ non poterant fieri vi demonis, & tamen fieri videbatur virtute Christi, & in confirmationem doctrinæ eius. Præterea euidenter conspexerant Christum à mortuis suscitatum (quantum humanis sensibus aliquid potest euidenter iudicari) ergo omnibus consideratis euidentis illis erat testimonium de Christi diuinitate, ac eius doctrinæ veritate. Neq; contra hanc euidentem cognitionem aliquid asseri potest, quod difficultatē ingerat. Quia hæc euidentia non excludit fidem ab homine: quam enim assensus hic euidentis ex signis, non sit assensus fidei infusus, nec tam perfectus, aut certus, sicut ille, nec in substantia sua supernaturalis, sicut ille, quia nititur solo humano discursu, & principiis, quatenus per sensus, vel naturale lumen euidenter cognoscuntur, nihilominus tamen huiusmodi cognitio non excludit à subiecto fidem infusam, qua ho-

mo voluntarie certiori assensu credit, non humanis sensibus, sed diuinæ veritati tanquam rationi assentiendi innixus. De qua re latius in 2.2. disseritur.

Secundo, de alijs Iudæis, qui non sunt Christum D. Thom. sequuti, D. Th. distinguit communem plebem à Iudæorum principibus, & Phariseis, & de communi plebe docet non agnouisse Iesum esse Messiam, neq; Deum: quæ sententia quoad hanc partē (si sano modo explicetur) mihi certa videtur. Quia isti (vt supponimus) non crediderunt in Christum fide voluntaria (agimus enim de illis, qui per voluntatem non ei adhæserunt) nec etiam fide coacta, quæ euidentiam aliquam supponit. Quia ij non erant tam capaces, vt possent ad euidentem cognitionem peruenire. Nesciebant enim scripturas, nec virtutem miraculorum, nec sensum verborum Christi, neque alia multa, quorum perfecta cognitio ad huiusmodi euidentiam est necessaria. Non potest tamen negari fuisse in illo populo rumorem sparsum, & vehementem suspicionem exortam, quod Iesus esset Messias. Vnde Ioann. 7. dicebant quidam, *Ecce palam loquitur* Ioann. 7. *& nihil ei dicunt, numquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus?* statim vero subiungunt, *sed hunc scimus, vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit.* Ex quo etiam dubitari non potest quin præter eos, qui vera, ac infusa fide in Christum credebant, multi ex plebe interdum hoc crederent fide humana, sicut accidit in omnibus rebus, quæ in ore vulgi circumferuntur, & per coniecturas eliciuntur. Et tales fortasse fuerunt multi ex illis, qui Matth. 22. clamabant, *Osanna filio David*, & illi, de quibus apud Ioann. capit. 7. subditur, *Deturba autem multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* & infra. *Alij dicebant, hic est vere propheta, alij, hic est Christus, alij numquid à Galilæa venit Christus? & facta est dissensio.* Itaque nullus ex his habebat euidentem cognitionem, sed fidem aliquam humanam cum formidine, vel tantum dubitationem, & suspicionem. Alii vero habebant repugnantem sententiam ortam, aut ex praua voluntate, aut ex leuibus coniecturis, & nonnullis signis, quæ videbantur non esse in Christo impleta, vel ex consideratione, vel denique ex timore Principum, qui eos insectabantur, qui in Christum credebant. Nam (vt dicitur Ioann. 9.) *Iam conspirauerant, vt si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret.* Quæ tamen omnia ad eorum ignorantiam excusandam satis non erant. Quia motiua ad credendum erant de se sufficientissima, & vrgentissima, & si quid habebant dubitationis, facta mediocri diligentia poterant facile ab ipso Christo, eiusq; discipulis edoceri: timor autem humanus non poterat eos excusare, vt per se constat. Potuit autem illa ignoratia culpæ grauitatem minuere, & ex parte excusare, & impedimenta auferre, vt postea facilius eos posset tanti peccati poenitere. Vnde Iustinus qu. 108. ex iis, qui Christum non agnouerunt, existimat fuisse eos, qui post Christi mortem facile conuerfi sunt. Et eodem fortasse sensu dixit Beda lib. 6. in Luc. cap. 94. Christum orando in Cruce obtinuisse remissionem peccati eis, qui ex ignorantia peccauerant, non alijs.

Tertio, de principibus Iudæorum, & Phariseis, qui Christum persequuti sunt, verius videtur, eos non cognouisse, Christum esse filium Dei naturalem. Quod etiam D. Tho. docet, & in eo conueniunt auctores primæ & secundæ sententiæ, & ad id suadendum videntur efficacia ea, quæ in confirmationem secundæ sententiæ adducta sunt. Quia (quidquid sit, an cognouerit; illum esse Messiam) tamen (vt ego existimo) pauci, vel nulli ex principibus Iudæorum, qui eo tempore viuiebant, intelligebant Messiam futurum verum Deum, neque mysterium Incarnationis suspicabantur, & ideo in eo maxime scandalum patiebantur, quod CHRISTVS, cum principes & esset

Ioann. 14.
Chrysost.

Credentes in
Christum qua-
le de ipso e-
runt doctri-
na notitiam
habuerunt.

Medina.

D. Thom.
Plebs Iudæo-
rum non agno-
uit Christum
esse Messiam
ac Deum.

Ioann. 7.

Matth. 22.

Ioann. 7.

Ioann. 9.

Iustinus.

Beda.

Iudæorum
cum principibus
& esset

Pharisei di-
uinitatem
Christi igno-
rant.
Obiectio.
Responsio.

effectus homo, se predicare Deum: quod tamen nullum A scandalum eis esset, si sperarent aliquem, qui simul esset verus homo, verusque Deus.

Dices, Ergo non erat in tota Synagoga Iudeorum qui veram de Messia existimationem haberet. Respondetur veram existimationem habebant, qui spectabant illum verum hominem, Prophetam sanctum ac Deo coniunctissimum, in qua vera cognitione implicite credebant reliqua, quæ ad Christum pertinent, quod illis tunc ad salutem sufficiebat; pauci vero erant, qui distincte altiora mysteria de Messia cognoscerent, & si qui erant, fuerant à Deo singulariter illuminati, vt Simeon, Anna, Zacharias, Elizabeth, & alij, qui sine dubio Christo non repugnauerunt, sed facile obtemperant. Fortasse etiam aliquis erat tam versatus in scripturis, tamque sincere, ac proprie eas intelligens, vt aliquid de diuinitate Messie, vel suspicaretur, vel opinaretur: sed in hoc nihil certi affirmari potest. Quia illi Iudæi nullum signum aut vestigium dederunt talis cognitionis, neque tempore, quo Christus predicauit, neque postea, semper enim conati sunt scripturas euertere, & ad falsos sensus detorquere.

Quarto (quod attinet, an cognouerint Iesum esse Messiam) existimo illos fuisse ancipites, vel inconstantes, multum enim & signis & prophetis urgebantur, & conuincebantur. Vnde quando actuali passione odij, iræ, aut inuidiæ non erant commoti, & obsecati, videbantque signa Christi, & considerabant verba prophetarum, existimo sæpe definito assensu, quamuis humano, & ex coniecturis, iudicasse cum esse Messiam. Quia argumenta erant fortissima, quare ablato impedimento prauis effectus, vehementisq; passionis non poterant non interdum habere suum effectum. At vero (vt notauit Euthym. Luc. 23. & significat D. Thom. super 21. capi. Matth. & loco supra citato) suborta passione, vel timore humano, quidam facile ab hac persuasionem cadebant, quia firmam fidem non habebant. Nam (vt dicitur Ioa. 12.)

Euthym.
D. Thom.

Ioa. 12.
Pharisei
Christum non
cognouerunt
esse Messiam.

Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Iſaie Propheta impleteretur, excacauit oculos eorum &c. Alii vero, quamuis in eadem opinione perfluerent, non audebant eam profiteri propter hominum timorem: Sic Ioannes eodem loco subiungit. Verum tamen ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, vt de Synagoga non eicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei. Quocirca tempore passionis Phariseos, & Principes, qui Christum crucifixerunt, verisimilius est tunc non credidisse illum fuisse verum Messiam, quod satis significauit eis Christus, quando in concilio interrogatus, an esset Christus, respondit, Si dixeris vobis, non creditis mihi? Luc. 22. & Ioann. 10. cum Iudæi dicerent. Quousque animam nostram tolles? ipse respondit. Loquor vobis, & non creditis mihi, & capit. 12. habentur verba supra citata. Ad hæc Petrus Actor. 3. Scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Nam licet Caietan. hic dicat posse illam similitudinem intelligi in facto, seu in cooperatione eiusdem peccati, non tamen in modo, seu origine culpæ: tamen verba ipsa plane intellecta satis indicant utroque ex ignorantia peccasse. Deinde Paulus in lege doctus ad pedes Gamalielis dicit se misericordiam consequutum esse, quod ex ignorantia fecerit. Vnde etiam colligi potest præceptorem eius in lege doctum eadem ignorantia laborasse, idem ergo credibile est de cæteris saltem frequentius. Præterea hoc ipsum indicauit Christus affixus cruci. Matt. 23. illis verbis: Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Denique cum Iudæi magna Dei beneficia per Messiam sperarent, & hanc fidem, & expectationem Messie non mutassent, si fibi persuadissent hunc esse Messiam, & in hac persuasionem durassent, non potuissent illi mortem, ac perniciem tanto studio machinari, vt hic etiam optime locum habeat, quod Paulus dixit, & ad

Luc. 22.
Io. 10. & 22.

Act. 3.

Caietan.

Act. 22.
1. Timoth. 1.

Matt. 23.

Cor. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent.

1. Cor. 2.

Neque contra hanc sententiam sic explicatam video aliquid obijci posse, quod difficultatem habeat, nisi fortasse illud Matth. 21. Hic est haeres. Ex quo (cum in parabola dictum sit) non potest colligi firmum argumentum: tum quia non est necesse applicare singula verba parabolarum: tum etiam, quia non omnia in proprietate & rigore dicuntur. Vnde exponi potest eos dixisse, Hic est haeres, id est, hic facit haerodem, & Dei filium, sicut Sap. 2. de Iudæis prædictum erat dicturos, Filium Dei se nominat, morte turpissima condemnemus eum. Deinde potest exponi. Hic est haeres, id est, qui primum locum in populo tenet quemque omnes sequuntur, & colunt. Præterea Caietan. inquit illo verbo Christum sub parabola prædixisse, quod postea in Concilio Iudæi proprijs verbis dixerunt. Omnes credunt in eum. Dicere ergo. Hic est haeres, non fuit dicere, hic est Messias, sed hic est, in quem omnes credent, & ita fiet Dominus, ac haeres populi Israel. Iansenius vero dicit illo verbo significatum esse, vel quod multi ex populo credebant, vel quod ipsi principes facile cognoscere poterant, & debebant: quæ responsio colligitur ex Iust. q. 140. Denique id dici potuit, quia interdum conuincebantur ad id credendum, quamuis postea propter humanum timorem aut avaritiam, alioque affectus in sua cæcitate permanerent.

Caietan.

Iansen.

Iustin.

Vltimo vero addendum in hac questione est, Iudæos, vel omnes, vel fere omnes euidenter cognouisse Christum fuisse virum iustum, & innocentem, & pena mortis indignum. Hoc constat ex publica innocentia vitæ Christi, quæ tanta erat, vt eo interrogante, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nullus sit ausus ei quicquam obijcere, etiam si maximo illorum odio prosequerentur. Deinde ex operibus miraculosis, & doctrina eius, id euidenter intelligere poterunt. Denique etiam Iudas coram Iudæis professus est se tradidisse sanguinem iustum, cui ipsi non contra dixerunt.

QVÆSTIO XLV.

De transfiguratione Christi, in quatuor articulos diuisa.

De qua Doctores Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. & Doctores in 3. dist. 16.



Ein de considerandum est de Transfiguratione Christi.

Et circa hoc queruntur quatuor. Primo, vtum conditiens fuerit Christum transfigurari.

Secundo, vtum claritas transfigurationis fuerit claritas gloriosa.

Tertio, de testibus transfigurationis.

Quarto, de testimonio Paterna vocis.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit conueniens Christum transfigurari.



Primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens Christum transfigurari. Non enim competit vero corpori, vt in diuersas figuras mutetur, sed corpori phantastico. Corpus autem Christi non fuit phantasticum, sed verum: vt supra habitum est. Ergo videtur quod transfigurari non debuerit.

2. Præterea, Figura est in quarta specie qualitatis, claritas quæ 5. artic. 1. autem est in tertia, cum sit sensibilis qualitas. Assumptio ergo claritatis à Christo, transfiguratio dici non debet.

3. Præterea, Corporis gloriosi sunt quatuor doctores (vt infra

240.